

qui toti pendent ab effatis & judiciis ephemeridum litterariarum, qui, cum liberrimi sibi videantur, coguntur tamen, ex illarum jussu & auctoritate, alia pro incertis habere, alia prorsus abjicere, alia impugnare, prouti visum fuerit illis librorum auctoribus & censoribus litterariis, qui sibi iam videntur & haberi volunt totius germaniae & cultioris Europae praceptores. Ac profecto res eo jam deve-  
nit, ut illa facilitas erga dissentientes, quam nuper tolerantiam vulgo dicebant, conversa fuerit in summam tyrannidem eorum, qui quod scribendis divulgandisque actis litterariis diurnis victum querunt, de novandis ex suo sensu rebus sacris & civilibus inter se conjura-  
runt. Quis igitur hos & ipsorum asseclas dixerit eclecticos, aut li-  
beros, cum revera aut tyranni sint, aut occultorum praceptorum discipuli.

Ac si verum dicere volumus, qui inde ab humanae sapientiae initiiis principes & magni extiterunt vel in philosophia, vel in litteris & artibus, & commodas disciplinarum formas reliquerunt, omnes fuisse eclecticos fateamur necesse est. Namque ingenii humani, post primam illam puerilis aetatis institutionem, maturescentis haec una ratio est & incipiendi in sapientiae studio & progrediendi. Quam homines, quia lente procedit, nec tamen in cursu unquam subsi-  
stere sinit, sed omnem aetatem in discendo consumendam esse sta-  
tuit, plerumque negligunt &, querendi laborem ac molestiam per-  
taesi, ad aliorum auctoritatem & normam sapere malunt, quam discen-  
do defatigari diutius. Haec autem sectaria sapientia nunquam non & hodie vel in primis magnopere se commendat quam plurimis, sui-  
que cultores reddit elatos & tumidos, contentiosos magis quam veri studiosos. Contra qui in scholis & academiis sedulo & gnavi-  
ter litteris operam dederunt & deinceps ad hanc rationem eclecti-  
cam in discendo progressi sunt, ii nolunt pendere ab opinionibus hominum & placitis, quae sua natura tantum valent, quantum mo-  
menti habere reperiuntur ad illam humanae rationis & revelationis divinae veluti stateram examinata. Quo fit, ut in iudicando & docen-  
do modesti sint, ut non clament, non convicientur, non rixentur.

Explicata igitur universi generis natura & vi, pauca iam sunt, quae restant dicenda de illius ratione & usu in hac doctrina scho-  
lastica, ne forte, dum nimium versamur in ampio & illustri omnis philosophiae campo, hujus quasi agelli nostri cancellorum immemo-  
res esse videamur. Praeceptorem igitur in scholis, cui commenda-  
mus